

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatiuncula de Diversa Cosmologiæ Tractandæ  
Methodo, qua, ut Scholæ nostræ Patroni & Amici, quæ  
eorum est gratia & humanitas, examini autumnali diebus  
26. & 27. Sept. instituendo [1735] ...**

**Herbart, Johann Michael**

**Oldenburgi, [1735?]**

**VD18 13536206**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-19614**

3.  
Dissertatiuncula  
de  
DIVERSA COSMOLOGIÆ  
TRACTANDÆ ME-  
THODO ,

qua,  
ut Scholæ nostræ Patroni  
& Amici ,

quæ eorum est gratia & humanitas,  
examine autumnali

diebus 26. & 27. Sept. instituendo 1735

frequentes interesse velint,  
submisit atque officiose

rogat

Jo. Michaël Herbart ,

Lyc. Old. Rector.



OLDENBURGI ,

Typis J. C. Götjen, Reg. Dan. priv. Typogr.





## A & Ω.

**C**Um in Lectionibus philosophicis, duce Thümmigio, hoc semestri æstivo, inter alia etiam Cosmologiam perlustrarem: generalis ista Mundi contemplatio subinde nos ad jucundissimum mundi actu existentis rapuit spectaculum. Tum vero, in summi Numinis gloriam, ejusque immensæ bonitatis, sapientiæ potentiæque laudem, stupendam plane totius universi structuram mechanicam, infinitam pene rerum varietatem, perfectissimumque hac in varietate consensum & harmoniam devota mente admirati fuimus. Re autem vera per integrum universum, sive tempus, sive spatium spectes, nexum esse arctissimum, auditoribus nostris cognitu haud fuit difficile. Vnicus saltem vermiculi saltus ad id demonstrandum, ipsis videbatur sufficere. Quisquis es, qui forte rides, attente quæso considera hujusmodi saltum, cum verminosum dissecas caseum. Annon in mechanica corpusculi istius structura, nervorumque & muscutorum vigore saltus rationem contineri, tibi fatendum est? Unde vero iste vigor, nisi a nutrimento ex caseo deprompto? Quomodo autem caseum tibi concipere potes sine lacte, lac sine vacca &c. vaccam sine gramine, gramen sine terra, aëre, pluvia, & calore, pluviam & calorem sine sole? Neque vero hic poteris subsistere. Solem sane cum planetis conexum esse, ultro concedes, quidni etiam cum reliquis corporibus caelestibus illum ambientibus? Non-  
a2
dum

dum autem totam causarum seriem emensi sumus. Num vermiculo abjudicabimus patrem & matrem, avum, proavum, atavum, tritavum &c.? Res nota atque apud omnes jam pervulgata est, muscas, quæ inde a prima creatione, successione continua, ad nostram usque devenerunt ætatem, his illisve nidulis sua immittere ovula. Ex ejusmodi ovulo tuus prognatus fuit vermiculus. Nec deest ratio proxima, quæ istum hoc ipso tempore ad saliendum commovit. Dum videlicet habitaculum ipsius, in quo huc dum secure latuit, cultro tuo destruis, exsilit, ut saluti suæ consulat. Culter tuus, qui tali sectione illum in fugam conjicit, pariter suum auctorem agnoscit, scilicet cultrarium, qui artem suam edoctus ab alio, hic vero rursus ab alio, & sic reliqui omnes, longa successione, a primo inventore. Talem causarum progressum & nexum itidem in materia cultri e.g. chalybe; item mulctrali, quo lac excipitur & aliis vasis, instrumentis & causis ad caseos formandos necessariis, demonstrare possemus, nisi ex illis, quæ jam allata sunt, rei veritas abunde eluceat. Ut de manu tua, quæ cultrum dirigit, & de aëre, sine quo saltus fieri non poterat, itemque de motivis, quæ ad diffecandum caseum te determinarunt, jam taceam. Quis igitur est, qui non intelligat, saltum vermiculi cum re pecuaria, cultrariis, metallis, terra, aëre, aqua, sole, stellis fixis, & ut brevi dicam, cum toto mundo per causas efficientes & finales, quoad tempus & spatium, connexum, sive, quod eodem redit, per integrum universum in actu suo determinatum esse. Consulto autem ejusmodi vile exemplum in medium afferre volui, cum a minori ad majus validissima sit ratiocinatio. Nexum hunc omnium rerum, in quo perpetuum motum, juxta  
mecha-

mechanicam corporum structuram & certas motus regulas, animadvertimus, cum aliquanto accuratius contemplamur, non necessarium sed contingentem illum esse, cognoscimus, cum oppositum ejus nullam omnino contradictionem involvat, uti ex primis veritatibus in Ontologia traditis abunde constat. Posito hoc immobili fundamento, in Theologia Naturali solide superstruitur existentia Entis Necessarii, Dei scilicet, primi auctoris, qui hunc rerum nexum præ alio existere voluit, & adhuc vult, ut ita, nec aliter existat. Hæc vero est illa philosophandi ratio, quæ ad hoc usque tempus tam multorum offendit animos, sed, ut puto, absque ratione. Mihi quidem isti homines diversam methodum, qua una eademque veritas proponitur, parum videntur discernere. Finge tibi duas cathedras, in quarum una Theologus, altera Philosophus constitutus est. Repente oritur sæva tempestas. Uterque de illa ad auditores suos dicere incipit. Philosophus de tempestatis origine, causis, natura, effectibus differit. Solem per aliquot dies admodum fuisse acutum, docet, atque hac ratione ingentem exhalationum sulphurearum, nitrosarum & salium alcalinorum copiam in aërem sustulisse; hæc igitur inter se commixta, accedentibus vaporibus humidis, facile potuisse incendi. Id variis probat experimentis; addit etiam rationes ex natura sulphuris, nitri, salis tartari, & docet, quæ ratione ex mixtura illorum tanti & tam mirandi consequi possint effectus. Unde autem, pergit, sulphur? Unde nitrum? Unde sol ejusque vis ignea? quis illis rebus tantas indidit vires, quis illas tam mirifice construxit? quis constituit motus regulas, juxta quas agunt? quis harum rerum elementa & vires conservat? Illæ ipsæ sane res rationem existentiae suæ  
a 3
sufficien-

sufficientem in se minime continent, cum effectum sui ipsius causam esse, sit impossibile & plane absurdum. Existere igitur debet ens necessarium infinitæ sapientiæ & potentiæ, quod tam mirandum omnium rerum ordinem produxit, & adhuc conservat. Ita differit Philosophus. Theologus contra ad auditores quorumlibet statuum & conditionis verba faciens, ad normam sacræ Scripturæ, citra ulla ambages & subtilem dissertationem pronuntiat cum Davide Psalm. 29, v. 3. seqq. *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonat; Dominus super aquas multas; vox Domini confringentis cedros; vox Domini concutientis desertum &c.* Nonne uterque Deum tonitruum & fulguris auctorem & rectorem profitetur, licet diversa utantur loquendi ratione, quæ pro diversa auditorum conditione utique erat necessaria? Sacræ litteræ, quæ summa divini Numinis est benignitas, omnibus, indoctis æque ac doctis, ad demonstrandam salutis viam sunt traditæ. Earum interpretes eodem omnes intendere cogitationes oportet. Quod si enim inani ostentatione philosophorum methodum imitari studerent: - auditores, præsertim ex plebe, aut plane illorum mentem non perciperent, aut maximam partem in longa illa causarum serie nondum ad finem perducta hærentes ad ipsum omnium rerum auctorem justo tardius pervenirent. Plurimorum hominum animi tam variis occupationibus implicati & distracti sunt, ut tam alta ascendendi scala, nec virium nec temporis satis habeant. Multo melius igitur illis consulitur, si, quam fieri potest celerrime, ad excelsum divinæ majestatis solium quasi ferantur & pertrahantur, etsi eorum cognitio non eo claritatis gradu gaudebit, quem ii attingunt, qui ordinaria scala per gradus h. e. omnibus divinis operibus successive & ac-  
curata

curata attentione contemplandis ascendere student. Sed communes multorum clamores & querelas jam audire mihi videor, per ejusmodi omnium rerum nexum, structuram mechanicam, altamque illam scalam, Deum a mundo longius, quam par est, removeri, atque hac ratione doctrinam de *Conservatione Mundi & Providentia Dei* labefactari. Hi autem erunt fere, qui Philosophorum mentem minime capiunt, &, quod pace illorum dixerim, sui ipsorum quasi immemores, communia se habere principia, parum attendunt. Omnes profecto uno fatentur ore, intellectum divinum infinitum esse, atque adeo non solum omnia, maxima & minima, quæ sunt, fuerunt, & futura sunt, uno verbo totum rerum actu existentium nexum, summa perspicuitate, simul, & absque ulla idearum successione & variatione sibi repræsentare, sed & omnia possibile in hoc mundo non contingentia. Confer. Koenig. theol. pos. P. I. §. 61. pag. 28. cum Thümmig. Theol. Nat. C. III. §. 16, 17. p. 217. Omnes statuunt, in Deum nullam plane cadere mutationem, sed perpetuam essentiæ divinæ & omnium ejusdem perfectionum esse identitatem, negantem omnem omnino motum tam physicum quam ethicum, ut itidem docet jam laudatus Koenig. l. c. §. 54. p. 27. conf. rursus Thümmig. l. c. Cap. VI. §. 86. p. 237. Ita de infinito Dei intellectu ejusque immutabilitate docent Theologi, ita statuunt Philosophi. Ergo eosdem communi tradere consensu oportet, Deum res præsentis & actu jam contingentes eadem perspicuitate adhuc sibi repræsentare, qua ab omni æternitate perspectas illas habuit. Omnes præterea profitentur, mundi existentiam a nuda Dei voluntate pendere, adeoque, cum mundus seu rerum nexus adhuc existat, eandem in Deo adhuc esse voluntatem, quæ fuit, cum mundum pri-

mum



mum produceret, i.e. Deum continuo creare. Hæc est  
 communis præstantissimorum Theologorum & recen-  
 tiorum philosophorum de voluntate Dei, ratione exi-  
 stentiæ mundi, doctrina. Tantum igitur abest, ut Phi-  
 losophi recentiores mundi conservationem & divinam  
 providentiam negent, ut potius maxime corroborent &  
 stabiliant, ita vero, ut non tantum omnipotentia, sed  
 & infinitæ sapientiæ Dei rationem habeant. Quam-  
 vis igitur Philosophi dicant, primam præsentis tempe-  
 statis causam in primo creationis momento, aut in ad-  
 mirando integri universi, seu innumerabilium causarum  
 efficientium & finalium nexu quærendam esse; ideo ta-  
 men conservationem mundi nullo modo excludunt, quin  
 potius, eo ipso momento, quo Deus rerum elementa &  
 naturæ vires, quibus nexus ille consistit, sustentare desi-  
 neret, totum mundum in nihilum redactum iri, asserunt.  
 Ex eo vero, quod Philosophi mundum rerum mutabi-  
 lium per causas efficientes & finales inter se connexarum  
 seriem esse dicunt, quæ egregie providentiam Dei sta-  
 biliant, sole clarius elucescit. Docent enim hac ra-  
 tione, ut jam ante diximus, Deum intellectu suo infinito  
 & perfectissimo omnia, quæ jam in mundo, mirabili  
 ordine, quo rationes particulares rerum cum simul-  
 tanearum tum successivarum ad idem spectantium tan-  
 dem in rationes communes generales resolvuntur,  
 contingere videmus, ab omni æternitate æque perspi-  
 cue ac hoc ipso tempore cognovisse. Preces igitur  
 tuas, quas ad Deum pro serena tempestate fundis, ipsum  
 ab æterno atque adeo ante mundum conditum iam  
 audivisse, tam certum est, quam quod certissimum.  
 Quamobrem, cum Deus secundum sapientiam suam,  
 ex omnibus mundis possibilibus, optimum liberrime  
 eligeret, ut ipse innuit *Moses Gen. I. 31.* nonne cum  
 sapi-

sapientiaē suā conveniens, & tibi profuturum intellexerit, nexum ita constituisse, crederes, ut tempestas tuis precibus statō responderet tempore? Annon vides, quodvis animal eo loco, quo procreatur & degit, suum quoque invenire nutrimentum & habitaculum naturæ congruum? Id vero Deus ab omni æternitate ita prævidit & providit. Uniuscujusque scilicet animalis desiderio omnia accommodata sunt, non earatione, ut Deus, extra ordinem & causarum nexum, nutrimentum producat, sed per providentiam, qua illorum desiderium & indigentiam prævidit, ideoque universum nexum tam sapienter, in eorum etiam gratiam, constituit. Annon vides, bombyces eo tempore ovulis suis excludi, quo morus frondescit? Nonne mirificum hoc est providentiæ divinæ documentum? Quis vero, Deum per miraculum h. e. extra ordinem & causarum seriem folia elicere atque ita bombycibus nutrimentum suppeditare, statueret? Non equidem nescio, esse quam plurimos, qui ex eo, quod philosophi, omnia præstituta & determinata esse, docent, precibus non amplius locum relinqui, adeoque illis nos plane supersedere posse, colligunt. Quasi vero Deus intermissas preces non æque prævidisset, neque hinc nexum rerum materialium aliter, & in damnum tuum, constituere potuisset. Non absolute sane Deus & absque ulla conditione tempestatem ita præstituit, sed ideo, quod ad vitæ nostræ cultum usumque ita necessariam eam esse, cognovit, vel ideo etiam, quod preces nostras prævidit. Pari ratione nexum totius mundi ita formavit, ut certis temporibus sæviant fulgura & fulmina, diluvia, terræ motus &c. non fatali quadam & absoluta necessitate, sed certis de causis, sub his vel illis rationibus ab ipso prævisis, fortasse etiam eum

B

simul

simul in finem, ut pravitatis & improbitatis tuæ, quæ ipsi jam ante secula cognita erat, justam poenam lueres. Hoc modo Deus ostendit, se non solum omnipotentem sed & sapientem & omniscium esse. Quibus itaque hæc philosophorum præcepta periculosa videntur, illos, quid omniscientia, infinita sapientia & perfectissimus intellectus involvant, plane ignorare, non absque ratione existimaverim. Fingunt sibi illi Deum instar patris familias, qui hoc vel illo die arare, ferere, metere, ita demum decernit, prout tempestatis aliarumque circumstantiarum fert ratio; vel instar palinuri, qui pro maris & ventorum conditione ab ipso non prævisa cursum navis mutat, flectit, dirigit, veleam in ancoris tenet. Me quidem hæud fugit, ad sacrarum litterarum tenorem subinde Deum potentis Regis & providi patris familias personam induere; sed in gratiam rudis & imperitæ plebis, cui non minus, quam eruditis scriptura sacra tradita est, id fieri, jam supra monuimus. Quid? quod qui loquendi rationem sacris scriptoribus familiarem nostræ Cosmologiæ tractandæ methodo adversari, sibi persuadent, non attendunt, se ejusmodi uti argumento, quod plus probat, quam probare debebat. Probat enim simul, scripturam sacram etiam iis repugnare, qui, dari in Deo affectus proprie sic dictos, negant, quod tamen asserere huc dum in mentem venit nemini. Non vero est, quod de adstruenda nostra sententia tantopere simus solliciti. Methodum philosophicam ipso usu comprobabat Divus Paulus. Scribit enim Act. XVII. v. 26. *Definivit præstituta tempora & positos terminos habitaculi eorum scil. hominum.* Nonne hoc idem est, ac si dixisset, Deum præstituisse nexum quendam inter homines quoad tempus & spatium? Quod si vero homines tanquam pars universi spatii & temporis vinculo

lo

lo inter se connexi sunt, quis, integrum universum rerum mutabilium tam simultanearum quam successivarum inter se connexarum seriem esse, negaverit? Hæc vero est philosophorum notio de Mundo in genere, cum qua Pauli effatum optime conspirat. Atque adeo definitio illa, quæ hæctenus tantas in republ. litteraria turbas excitavit, a viro θεοφιλέτω ab omni injuria implicite vindicatur. Utitur tamen Paulus etiam altera methodo, qua, absque ordinis & causarum mentione, ad Deum, omnium rerum auctorem & conservatorem, recta via adscendit v. 28. *In ipso vivimus, agitur & sumus.* Ergone Paulus sibi ipsi contradicit, cum ea, quæ inter homines contingunt, primum præstituta esse dicit, deinde proxime Deo adscribit? Minime vero. Est una eademque veritas, diversa methodo proposita. Quæ hæctenus differuimus, ad ea pertinent, quæ elapso semestri in Class. I. auditorio fusius fuerunt pertractata. Mæcenatibus & Scholaribus omni pietatis cultu prosequendis haud molestum fore, mihi persuadeo, si & reliquas lectiones hoc semestri absolutas hæc loco breviter recensuero.

In THEOLOGIA ad Buddei compend. Instit. Theol. Dogmat.

Lib. I. de fundamentis & principiis Theologiæ

Cap. 2. de Revel. & Script. S. a §. 30. initio ducto egimus

a.) de mediis hermeneuticis.

b.) de auctoritate Script. canonica, cujus intuitu Scriptura est

a) genuinum in Theolog. cognoscendi principium,

β) Judex controvers. Theol.

b 2

γ)



γ) in usum omnium hominum consignata,  
unde etiam versiones sunt necessariae.

c.) de objecto Scr. S. tum primario tum secundar.

d.) de fine ultimo & intermedio.

e.) de erroribus circa hoc doctrinae caput &c.

Lib. II. de fine Theologiae

Cap. I. de Deo, & quidem

a) quae Ratio & Scriptura S. nos docent, quorsum spectat doctrina de Dei *existentia, essentia & attributis*.

b.) quae ex sola Script. S. nobis innotescunt. Huc pertinet admirandum SS. Trinitatis mysterium in V. aequae ac N. T. propositum, in cuius explanatione vidimus α) realem personarum differentiam β) veram singularum personarum divinitatem. γ) personarum Trinitatem in una essentia.

Cap. 2. de operibus, quibus Deus in regno naturae se manifestavit, scil. de mundi

a.) creatione, speciatim

α) de vera creationis notione.

β) de creatore.

γ) de rebus creatis *primo* universis secundum sex dierum opera, *secundo* de Angelis.

b.) Conservatione, concursu & gubernatione.

In LECTIONE BIBLICA

I. Vet. Test. a cap. V. Gen. ad Cap. XVIII. inclusu textu hebr. explicando & grammaticae resolvendo progressi sumus.

II. Nov. Test. ultima capita Matthaei, quae restabant, inchoantes Marcum absolvimus, & circa Cap. Luc. VI. substitimus.

In

In PHILOSOPHIA ad ductum Thümmigii

I. Ontolog.

- 1.) de principiis philos.
- 2.) de essentia & existentia entis agnatisque notionibus.
- 3.) de generalibus entis affectionibus.
- 4.) de ente composito.
- 5.) de ente simplici.
- 6.) de respectu entium ad se invicem.

II Cosmolog.

- 1.) de mundi definitione & iis, quæ hinc consequuntur.
- 2.) de essentia & natura corporum & pendentibus inde affectionibus.
- 3.) de legibus motus.
- 4.) de naturali & supernaturali.
- 5.) de elementis.
- 6.) de perfectione & ordine universi, cuiusque naturæ.

III. Psychol.

I. Empiric.

- a.) de existentia animæ s. mentis.
  - b.) de facultate ejus cognoscitiva, ejusque
    - α.) parte inferiori.
    - β.) parte superiori.
  - c.) de facultate appetitiva & rursus in specie ejus
    - α.) parte inferiori.
    - β.) parte superiori.
  - d.) de commercio inter mentem & corpus.
- 2.) Rational. juxta præced. method. in qua pervenimus ad facultatem appetitivam.

In HISTORIA Freyeri Hist. univers. Civil. Eccles. & Liter.

1. Vet. Testamenti

period. 5. de tempore Regum.

pe-

period. 6. de tempore Principum & summorum Pontificum.

- 7. de tempore Maccabæorum.

- 8. de tempore Herodianorum.

II. Novi Testamenti

period. I. de tempore Imperatorum gentilium, absolvimus.

In GEOGRAPHIA ducem Hubnerum Jun. secuti Galliam, M. Britann. Hiberniamque emensi sumus & jam in Belgio Austriaco, speciatim Artesia commoramur. DICENDI PRUDENTIA nos instruit Hallbauerus, ad cujus regulas auditores nostri per hoc semestre spatium Orationes V. proprio Marte dispositas & partim romana, partim materna lingua elaboratas mihi exhibuerunt

1.) de Lectione script. S. Laicis etiam non solum licita sed & necessaria.

2.) de Existentia Dei.

3.) de fugiendo Chiromantiæ studio.

4.) de Mundo optimo.

5.) de fine creationis mundi. Neque

ARTIS POETICAE tam lat. quam germ. Cl. I. alumnos plane rudes esse, testantur Odæ 16. L. I. Horatii in vernaculam stilo poëtico translatae & Fab. 8. Lib. I, Phædri versibus heroicis & elegiacis adornatae; nec non carmina aliquot latina pariter ac german. privato studio composita.

In AVCTOR. CLASS. explicandis

I. a Plinii Epist. IX. Lib. IV. ad Epist. VI. Lib. V. progressi sumus.

II. in Metamorph. Ovidii a v. 364. Lib. I. ad v. 481. Lib. II.

III. in Sueton. D. Jul. Cæs. a Cap. 33. ad Cap. 9. vitæ Oct. Aug. IV.

IV. Cæs. Lib. IV. V. & VI. de Bello Gall. percurramus.  
 V. Virgilio Eclogis quatuor posterioribus absolutis  
 libros Georg. adgressi ad v. 100. Lib. II. pro-  
 cessimus.

VI. Ciceronis orat. pro Marcello, & Ligario expe-  
 divimus in Orat. pro Dejotaro hærentes.

VII. Manutii Epist. XI. priores Lib. I. pertractavimus,  
 ita quidem, ut singulæ post præmissam expli-  
 cationem hinc inde mutatæ germanice dictaren-  
 tur & calamo latinis verbis exciperentur.

ad EXERCITIA denique STILI, quæ diebus Mer-  
 curii emendari solent, quod attinet, Henrici Exer-  
 citia Schol. more consueto latine transferuntur. His  
 accedunt Exercitia menstrua, quæ speciminis loco  
 elaborari solent, hoc quidem semestri, quatuor.



Sequuntur Lectiones Class. II. Discipulis a Conrectore  
 C. G. Mullero, Collega meo amicissimo, eodem seme-  
 stri expositæ.

In THEOLOG. ad Buddei Compend. Instit. Theol.  
 Dogm. Lib. I. C. II. & Lib. II. C. I. & II. explicando  
 breviter perlustravimus & factis quæstionibus repeti-  
 vimus.

In GRAECIS Nov. Test. & quidem Evangel. Matth. us-  
 que ad C. 23. explicavimus & praxigrammat. resol-  
 vimus.

In LATINIS AUCTOR, explicandis

I. a Justinii Lib. IX. inchoavimus & circa Lib. XIX.  
 substitimus.

II. a Plinii Lib. IV Ep. ad Epist. VI. Lib. V. progressi-  
 sumus.

III. Terentii quatuor actus priores Eunuchi absolvi-  
 mus, ex quorum argutis dictionibus imitationes  
 elaboravimus.

IV!



IV. Phædri Fab. percurrimus, quas itidem imitati sumus.

V. e Virgilio Lib. III Æneidos usque ad v. 210. pertractavimus ita ut quantitas syllab. & metrum secundum profod. Langii indicaretur.

EXERCITIA STILI, quorum unaquaque hebdomade a singulis discipulis duo elaborata & publice correctæ sunt, suppeditavit Muzelius.

In HISTORIA ductum Freyeri in *Hist. univers.* secuti in period. II. *hist. N.T.* substitimus.

In GÉOGRAPHIA, prælucente hubnero Jun. Lusitaniam, Hispaniam & Galliam fere absolvimus.

In DICENDI EXERCITATIONE secundum institutionem Vhsii doctrinam de periodis, syllogismis & Epist. pertractavimus.

Neque POESIS omnino neglecta est, quod aliquot a discipulis ficta restantur carmina.

Quo studio & attentione in hisce exercitationibus & Lectionibus Class. I. & II. alumni, nec non reliquarum Class. discipuli in suis laboribus versati fuerint, diebus 26. & 27. Septembr. publico examine declarabunt. Ut igitur omnes, quibus Scholæ nostræ salus curæ cordique est, ceu iudices & testes adesse velint, magnopere rogo.

